





47. 27. 48

MEDITATIO PHILOSOPHICA
PRIOR
DE
COGNATIONE
ANIMI ET SERMONIS
MORALI

QVAM
DEO CLEMENTER IUVANTE
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DN. GVILIELMO HENRICO
SAX. IVL. CLIV. MONT. ANGAR.
ET WESTPHALIAE DVCE
RELIQVA

BENEVOLO SVPERIORVM CONSENSV
IN ACADEMIA SALANA

Placidae Eruditorum disquisitioni exponunt

PRAESES

M. IO. CHRISTOPH. ARNOLDVS
GOTHA-THVRINGVS

&

RESPONDENS

IOHANNES Walter
TYNGEDA-GOTHANVS.

AD DIEM 10 IANVARII A. S. MDCCVIII.

IENAE
EX OFFICINA EHRICHIANA.

VIRIS
PERILLVSTRI ATQVE GENEROSISSIMO,
ILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO,
MAGNIFICIS, SVMME REVERENDIS ATQVE
AMPLISSIMIS,


CONSISTORII
SAXO-GOTHANI

PRÆSIDI ATQVE VICE-PRÆSIDI
RELIQVISQVE ADSESSORIBVS
SPECTATISSIMIS, GRAVISSIMIS,

DOMINIS ATQVE PATRONIS NOSTRIS
OMNI HONORIS CVLTV SVBMISSE
SVSPICIENDIS, COLENDIS,

Publicum observantissimi erga EOS animi monimentum
facturi, & de novi illucescentis Anni fausto fidere, de omni-
gena animi, corporis, fatorum felicitate, prosperrimaque
munerum, quæ divinitus sustinent, gravissimorum æque
ac sanctissimorum procuratione, & longæva ætate gratula-
turi; Primitias hæc Academicas, in gratulantis animi & de-
voti cultus symbolum, sacras esse jubent

PRAESES ET REESPONDENS.



B. C. D.

Σύνοψις.

Conversatio civilis, quæ mutuo usu metitur, caute nobis & prudenter insitiuenda est, ut nec ἀφιλοι, nec πολυφιλοι simus, sed χησφιλοι. Ad hanc prudentiam multum facit meditatio de Cognatione animi & sermonis morali § I. Cujus theoriam tradituri, discordiam observamus Anthropologorum § II. Mentio injicitur de essentia animi, sede, facultatibus, insitis notionibus, & scriptoribus, sua hic prestantibus officia § III. Ex Tirio, Buddeo, Francisco Vallesio, sermonis indoles & naturale artificium petitur: Vis autem ejus ex Cicerone, annexa breviter moralitatis origine § IV. Exponitur cognationis ratio, morum natura, eorumque subjectum inhesionis § V. Rationes asserti Philosophicæ adferuntur; Physiognomorum sententia de motu partium solidarum, ejusque divisione: de vita hominis, & vita corporis humani, de sedere & hujus legibus, animum inter & corpus stabilitis § VI. In numero moruum voluntariorum est loquela, cujus organa ex Borrichio adducta: anime rationalis in eam dominium, & idearum communicatio § VII. Colligenda sunt hujus rei documenta ex hominum, cum quibus vivimus, oratione quotidiana magis, quam elaborata. Sermo prodiit animi ideas, quarum objecta vel gloriosa, vel jucunda, vel utilia § VIII. Accedunt servi affectuum & ostentatores § IX. Assertioni robur addunt effata prudentum, Democriti, Solonis, Senecæ, Erasmi, Sagittarii, Richerii & aliorum § X. Exempla ex historia veteris, medii & recentioris ævi deprompta § XI. Majorem accendunt lucem divina oracula, quæ egregia suppeditant

Salomonis, Syracidis, Salvatoris testimonia de similitudine animi & sermonis § XII. Anticipantur dubia de involucris simulationum, & mendaciorum artificii § XIII. Hec quidem dari non abnuimus, sed tamen, iudice Webero, differentia est § XIV. Interim animi, mala matris, non degeneres filie sunt noxii sermones: Nec impune violari commercium animi cum sermone; & sermonem, vultum, frontem, saepe fieri animi januam, verbis Arnoldi Geulincx, Casparis Dornavii, & Lactantii adstruimus; tractus quoque temporis fallaciarum proditor. Terror mentientium mendacia Gechafii, Anania, Sapphiræ punita § XV.

§. I.



Vanta Solis & salis, aquæ & ignis, tanta civilis conversationis necessitas pariter ac utilitas nobis esse videtur. Ista enim abunde innotescit ex conditione mortalium, qui quocunque fungantur munere, quoque statu vivant hierarchico, consuetudine non possunt carere; prout distichon docet:

Est homo consortes ad vitæ conditus usus,
Ut possit pietas, officiumque cõli.

Hujus autem, utilitatem intelligo, quam ex conversatione percipimus, documenta sunt luculenta tam *ἀνευσις πολιτικῆς*, quam *δυναμὶς ἐγυμνευτικῆς*, quæ inde comparantur, auferuntur, foventur, sicuti pluribus tradit Thomas Sagittarius. (a) Elegantia igitur morum & civili prudentia, cui lata admodum pomeria, qui justum statuunt pretium, auctores sunt honestæ vitæ cultoribus, ut in celebritate hominum prudenter & caute versentur, nec minus Scyllam conversationis, quam

Cha-

(a) *disp. I. de civil. conv. §. 5. seqq. Add. Hieronymi Cardani Arcana prud. civilis cap. i. & Christiani Thomasi Jurisprudem. divin. lib. I. c. IV. §. 55. seqq.*

Charybdim evitent, (b) Dantur enim homines, qui aliorum vultus colloquiaque fugientes, domi instar claudi futoris delitescunt, & imaginem expriment Angvillæ, quam *Masenius* afferit hieroglyphice solitariam designare, quia illi nullum cum piscibus sit consortium. (c) In hujus generis cœtum dicax est *Arnoldus Geulincx*, Lovanii quondam Philosophiæ Professor; *Li ipsi enim, inquit, qui Cynico quasi stupore percussi, in doctum se abdidere, familiares salutationes & celebriora commercia dedignant, id unum agunt, ut facti raritas oculos in se defigat inuentium, dum ceteri consuetæ tractantes, levi oculorum conspectu transmittuntur.* (d) Quid mirum, si deinde foras progressi, voculas aliorum gravioremque censuram incurrerent, & modo *κρηδοξίας*, modo *φιλαυτίας*, modo *αυθαδίας*, modo *δυσωπίας*, modo *δοκησοφίας*, modo *ἀπειρηκάλιας*, & id genus aliorum infimularentur. Hujusmodi vitia, dum alii fugiunt, more gentis humanæ, in contraria ruunt. Namque majorem iusto operam collocant in comparanda multorum familiaritate, maximisque in deliciis habent *πολυφιλίαν*, quam audaciter vocant vitæ humanæ condimentum atque animam. Verum dum amicitiam hominum, cujusvis sint notæ atque commatis, sibi imprudenter conciliant, à conversantibus sumunt mores, ab impudicis impudicos, ab inhonestis inhonestos, ab iniustus injustos. (e) Ut enim rabiem sibi perhibentur attrahere, qui vulnus vulneratorum Acontia tactu sanare contendunt; ita socius malus sæpe numero socium bonæ mentis pravitate veneno inficit. Hujus asserti veritatem exemplis *Hermiones*, *Leonide*, *Cleonymi F. M. Antonii*, *Triumviri*, *Chalcedoniæ*, & aliorum communitum it *Stephanus Guazzes*, Eques Italus, quem velimus adeas. (f) E contrario prudentiâ ad-

A 3

juvan-

(b) *Cardanus l. c. cap. XL. p. 187.* (c) *Spec. Imag. V. O. c. LVIII. num. IX. p. m. 702. add. Pierii Valer. Hieroglyph. lib. 29. cap. 29. p. m. 352.* (d) *Saturn. quest. I. p. m. 164.* (e) *Seneca Epist. ad Lucil. VII. & VIII. p. m. 16. ff.* (f) *differr. I. de Civ. Convers. p. m. 36. edit. Reusner.*

juvantur in civili conversatione, qui curam adhibent ad animos virorum, prudentiæ, probitatis & sapientiæ fama conspicuorum, sibi conciliandos, quorum è lumine sibi lumen oritur. Sapiens enim fulgeat & lumine & probitate constanti sibi ipsi & aliis; seipsum & alios, imprimis eos qui ejus conversatione fruuntur, perficiat: uti auctor est *Fridericus Scherzerius*. (g) Quibus itaque cum hisce commercium est, ii id consequuntur utilitatis, ut exuta morum immanitate, humanitatem induant, evadantque homines, quos medio in meridie sua candela quærebat Diogenes. Quæ cum ita sint, non abs re erit, intentiori cura meditari de iis signis, quæ hominum mores animique habitum potentiæ cognoscenti representant, quo effugiamus, in quantum fieri potest, eorum societatem, quæ multum creat detrimenti; & contra ea amicitiam ineamus cum istis, qui illustria justique rectique exempla præeunt. In censum autem signorum istorum, quibus diximus animorum inclinationes indicari, referunt quidem facta hominum & dicta; sed nos, ista missa facientes, ad horum considerationem animum adpellimus. Aliqualem autem inter signum & signatum intercedere similitudinem, in confesso est. Qua de causa placuit nobis pluribus tradere **COGNATIONEM ANIMI ET SERMONIS MORALEM**, quam non minus in aliis, quam nobis metipsis annotamus, præsertim cum præcipuum conversationis medium sit loquela. Quod in nos susceptum negotium, in quo vires ingenii periclitamur, DEUS felix faustumque esse jubeat.

§. II.

Immoraturi cogitationibus de Cognatione animi & sermonis morali, quo fieri poterit studio, in id elaborabimus, ut intra cleas vagemur & ordine procedamus. Tota autem hæc doctrina, nostro quidem judicio, in duos quasi dispescitur ramulos, quorum prior ea exhibet, quæ theoriam hujus argu-

(g) *Tr. de Philos. recta libr. 1. add. Seneca Tom. II. Epist. ad Lucil. VI. pag. m. 15.*

argumenti adjuvant: posterior autem praxeos capita com-
monstrabit. Quod itaque priorem nempe theoriam hujus
argumenti attinet, cujus impræsentiarum curam habebimus,
posteriorem alii occasione reservantes, non possumus, quin
in animum inducamus, quædam de animo annotare huma-
no, cui sermo cognatus est. Pnevmatologiam, quam Cim-
meriis quasi tenebris involutam crederes, ingenia erudito-
rum hæctenus fatigasse, & ad hanc lucis usuram fatigare, in
comperto est; nec instituti nostri ratio svadet, ut hanc plu-
ribus persequamur. Nosstrarum potius partium arbitramur,
hic loci recensere, quæ causæ nostræ inserviunt. Non igno-
rant, qui Anthropologiam vel extremis digitis attingere, hu-
jus cultores in duas abire sententias. Alii enim asserunt, tres
esse hominis partes, alii contra duas saltem. In illorum cen-
su occurrunt *Valentiniani*, heterodoxorum dogmatum asser-
tores, qui ex tribus partibus hominem conflatum contende-
bant, terreno sc. homine, animali, atque spiritali; (h) *Io.*
Amos Comenius, (i) Philosophiæ Mosaicæ sectator, cujus ut
vitam & Scripta, ita & mentem in hac materia propriis verbis
exponit Excell. noster *Buddeus*: (k) nec non *Bernardus Con-*
nor, M.D. dignissimum Regiæ Societatis Londinensis Mem-
brum, qui suam mentem his verbis in scenam producit: *Ho-*
mo totus ex triplici coalescit substantia, à Spiritu, Corpore & Anima &c.
(l) Quam de tribus hominis partibus opinionem *B. Frid. Bechman-*
nus, Vir non minus magnæ eruditionis quam perspicuitatis,
dignam judicavit, quam inter controversias Theologicas re-
latam, doctè refutaret. (m) Hisce jam allegatis, plures re-
ferre abnuimus, adversum tenent alii, qui statuunt, homi-
nem saltem componi ex duabus partibus, corpore nempe &
anima rationali; suamque ideò distinguunt Anthropologiam
in

(h) *Venerandi Buddei Disp. de Heresi Valent. §. IIX.* (i) *Phy-*
sices ad lumen divinum reformande Synopsis cap. XI. (k) *W-*
rod. in Phil. Hebr. histor. §. 52. not. (1) p. 393. (l) *Evang. Med.*
Art. II. p. 7. (m) *Theol. polem. loc. III. de Creat. contr. VII. p. 392.*

in Psychologiam, & Somatologiam. Verum si caput rei controversæ penitus inspicatur, an in verborum usu quidam discrepent, convenient autem in sensu, aliorum sit iudicium. Profecto jam jam nominatus *Connor*, triplicem quidem affirmat hominis substantiam, interim tamen alibi his utitur verbis: *Homo non tantum ex materia sive corpore, in multiplicem Organorum seriem disposita, sed etiam ex spiritu, seu substantia quadam cogitante, anima rationali dicta, simul unitis componitur.* (n) Nos consultum ducimus, viam publicam in hoc argumento calcare, & statuere cum plurimis, hominem componi ex corpore organico, & mente humana.

§. III.

Quid autem porro sit mens humana, aut ubi, magna est dissensio. Quid de eâ senserit Empedocles, quid Zeno stoicus, quid Aristoxenus, quid Xenocrates, quid Aristoteles, quid Democritus, *Tullius* perspicua brevitate explicat. (o) Recentiorum temporum Philosophi, quibus curæ cordique est verior animæ humanæ cognitio, eam ferunt esse rem cogitantem. (p) Sedem quidem mentis humanæ veram & immediatam in dubio quidam nostra ætate relinquunt, quidam arbitrantur, in cerebro esse, quidam cordi eam vindicant, alii in toto corpore diffusam asserunt. *Henricus Regius*, Eques auratus & Professor Ultrajectinus, in ea versatur opinione, ut sedem animæ veram & immediatam non in toto cerebro, sed in solo communi. Sensorio statuat, tanquam centro externorum sensuum, iudicanti & distinguenti objecta sensuum externorum. (q) Hujus sententiam sequitur *Connor*, dum ita præclare: *Nobis enim ipsis consciis, videmus, quod neque pes, neque manus, neque cor, neque os,*

(n) lib. cit. Art. XV. p. 123. (o) libr. I. *Quæst. Tuscul.* p. m. 1108. edit. Schrev. (p) *M. Conr. Feuerlini disq. Philos. de Immort. mentis humane, Immortal. ejusdem Fund. demonstr. Atorfi. A. S. 1681. §. 31.* (q) *Epist. hujus ad Erid. Scherertz. de vera sede Anima adnexa tr. hujus aureo de Recta Philos.*

nasus, oculus, neque auris, neque ullum aliud organum cogitat, sed
is nobis vere sentimus, quod cogitationes nostræ, perceptiones, memo-
ria, somnia, deliria, reliquæque Animi operationes cerebro insunt. (r)
 Parum abest, ut horum sententiæ subscribamus, quia ferme
 omnium probabilissima. Sed pedem promovemus ad fa-
 cultates animæ. Ex effectibus ut cognoscimus causam; ita
 quicquid de essentia animæ, quæ ἀθεώλητ❁ est, cognitum
 perspectumque habent Philosophi, deprehendunt ex opera-
 tionibus, quas qui intentiori cura consideravere, animad-
 verterunt, mentem modo pure & absque corporis opera o-
 perari, modo Spirituum animalium beneficio. Unde consti-
 tuere solent duas animæ facultates, puram nempe & impu-
 ram. Ad istam referunt τὸ λόγον ἔχον seu facultatem ratio-
 nalem, intellectum & voluntatem complectentem; ad hanc
 vero τὸ ὁρμητικόν, seu, ut commodius loquuntur, Phantasiam,
 adpetitum sensitivum & memoriam localem: quæ omnia in
 compendio tibi suppeditabit Excell. BVDDEVS, Præceptor
 noster omni observantiæ cultu colendus (s). Placet quo-
 que eam adnectere distinctionem, cujus meminit Cicero (t),
 dum ratione adstruit, non inscite dici, nos duos esse, impe-
 rare alterum, alterum parere. *Est enim animus in partes tribu-*
tus duas, quorum altera est rationis particeps, altera expers. Cum
igitur præcipitur, ut nobismetipsis imperemus, hoc præcipitur, ut ra-
tio coërceat temeritatem. Hisce verbis forsitan significat pu-
 gnam facultatis puræ & impuræ, seu pugnam rationis & ad-
 petitum sensitivi. Ut taceam quinque gradus, quos Kabba-
 listæ in anima humana admittere videntur (u). Cæterum
 mentis humanæ essentia, quam parum notam esse confite-
 mur, divisis & diversis operationibus non divisa & diversa est.
 Idem enim est, quod pro diversitate operationis & speculatur

B ali-

(r) Artic. XV. l. c. pag. 131.

(s) Element. Phil. præf. P. I. cap. II.

sect. 1. & 2.

(t) Tusc. Quæst. libr. II. p. 1126. conf. Maximi Ty-

rii λογ. XLI.

(u) Buddæi Vener. Introd. in hist. Phil. Hebr.

§. XLV. p. 355.

aliquid, & adpetit aut averfatur. Hoc comprobaturus Io. Conradus Feuerlinus, Paſtor quondam Noribergerſis, jam Nordlingenſis Sacrorum Antifteſ vigilantiſſimus, ita loqui ſolet: (x) *Intellectus & Voluntas realiter non diſſerunt. Iſte eſt principium, quod cognoscit, hæc principium, quod ſeipſum determinat ad cognoscendum & alia. Nam ſi realiter diſcrepent, annon inde ſequeretur, Voluntatem id, quod eligit, non cognoscere, ſicque ferri in incognitum. Unde & Johannes Bodinus, non obſcuri nominis Philoſophus, hæc facit verba: (y) Tameſi Plato animam in duas partes diviſit, Zeno in tres, Panetices in quinque, Soranus in ſeptem, Chryſippus in oſto, Apollophanes in novem, Poſſidonius in duodecim: nihil tamen in anima eſſentia diviſum, ſed cum anima dividiur in facultates, diviſio eſt ſubjecti in accidentia (z). Vicio nobis dares, ſi majorem curam cogitationemque in hanc rem conferremus, & coacervaremus variorum varias opiniones, quas de anima humana ejuſque facultatibus fovent, ſcriptiſque luci exponunt. Plura diſcendi cupido ſubminiſtrabunt Io. Clericus (a), Io. Bapt. du Hamel (b), Chriſtophorus Scheiblerus (c), Renatus Carteſius (d), Immanuel Preleus (e), Io. Caſparus Günther (f), & quos jam in teſtimonium citavimus, Bernardus Connor & Io. Conradus Feuerlinus. Neque abs re fore putares, hoc loco vel tria edere verba de *νοῦς ἐνοεὺς*, quæ menti mortalium ineſſe dicuntur; ſed, dum aliquid formæ meditationis hujus tribuendum cenſemus, non deerimus noſtro officio, ſi modo præter Lanum Cæci-*

(x) *Diſq. Phil. de Immort. anim. &c. §. IX. add. D. Titii Obſerv. in Puſend. O. H. & C. lib. I. c. I. obſerv. 13.* (y) *Theatr. univ. Natur. lib. IV. de Anima.* (z) *conf. Diodori Tuldeni Tr. de Cognit. ſui lib. II. cap. V. p. m. 146. ſſ.* (a) *Pneumat. Sect. I.* (b) *de Mente humana lib. IV. c. I, II, III.* (c) *libr. de Anima Part. III.* (d) *de Paſſionibus Anima.* (e) *Demonſt. de Cert. Senſ. R. & F. part. I. gen. cap. I. §. 9. ſſ.* (f) *diſſert. de Pied. Phil. ad Revel. ex ign. quaſt. an anima & corpus ad ſe invicem deſtinentur ut partes?*

Cecilium Freu (g), & *Adamum Wildium* (h), indicamus *Diodorum Tuldenum* IC, (i) qui breviter quidem, sed pro more suo eleganter de hisce agit.

§. IV.

Annotatis itaque breviter, quæ de animo humano placuit nobis; juvabit sanè, priusquam accuratiori meditatione prosequimur cognationem hujus cum sermone moralem, sermonis indolem, & vim expendere nec non moralitatem. Dantur officia, quæ homo homini præstare tenetur, duplicis generis, absoluta nempe, quæ originem ducunt ex communi obligatione, qua ex voluntate superioris omnes homines, ut tales sibi invicem devinciuntur; & hypothetica quæ, ut ductum *L. B. Pufendorfi* sequamur, præsupponunt humanum aliquod institutum, generali pacto subnixum & in genus humanum introductum, vel etiam statum aliquem peculiarem. Hujusmodi instituta, quæ maximæ sunt utilitatis, deprehendimus tria potissimum; *Sermonem, Dominium rerum earundemque pretium, & Imperium humanum* (k). Sermonem itaque, qui in horum numero habetur, ita describere *Titus* non dubitat;

(l) *Est vox articulata ex impositione hominum, ad communicanda animi sensa, aliquid significans: Sive, ut laudatus Buddeus explicat; (m) Est sonus hominis articulatus, per quem animi sui sensa alteri homini significare potest, & quandoque debet. Licebit propria Francisci Valleſii Covarrubiani, Pontificii Religione, adnectere verba: (n) Quid autem aliud est loqui, quam per quasdam lingue motiunculas, res quasdam innuere, ut inter colloquendum constitutum est? nimirum ut quidam, (multi præcipue) consueverunt, suas sibi mutuo cogitationes aperire varia digitorum motitatione; hoc solum inter-*

B 2

est,

-
- (g) *Prolegem. Mentis s. Axiom. (h) dissert. de ration. cognoscendi Principiorum Natura, Usu & Fatis: hab. Rosoch. Anno 1791. (i) libr. II. de Cognitione sui cap. III. & V. (k) libr. I. O. H. & C. c. IX. p. m. 168. (l) Observ. in Puf. O. H. & C. lib. I. cap. X. §. I. obs. 242. (m) Elem. Ph. præf. part. II. cap. IV. sect. VI. §. 2. p. 291 (n) *Sacr. Phil. cap. III. p. 75.**

est, quod lingua accommodatissima est omnium nostri corporis partium ad significandum, quod mente conceptum est, ob illam mirabilem mobilitatem, & quia in ipsa via spiritus posita, ejus diverberatione, sonitus edit multiplices, auditui hominis etiam eminus occurrentes: & paucis adhuc interjectis: *Lingua, pergit, ita est naturâ comparata, mollis scilicet ac substantia volubilis, multis ad radicem musculis prædita, superposita laryngi, supposita palato, circumseptâ dentibus, ut expiratum per laryngem aërem excipiens, & ad palatum & dentes multifariam allidens, posset multiplices edere sonitus, quibus pro suo arbitratu homo posset homini significare, incognoscibiles alioqui cogitationes.* Hac loquendi facultate, quam homini naturalem esse, *Sperlingius* asseverat, (o) mortales reliqua animalia, quæ pro na terram spectant, rationeque destituuntur, superant atque vincunt. Cui sententiæ adest *Cicero*, Romanæ Eloquentiæ pater, sequentem in modum locutus: *Hoc uno vel maxime præstamus feris, quod colloquimur inter nos, & quod exprimere dicendo sensa possumus* (p). Quinimo, quantum debeatur in rep. sermoni faceto & prudenti, hisce ostendit vocibus: (q) *Quæ vis alia potuit aut dispersos homines unum in locum congregare, aut a fera agrestique vita ad hunc humanum cultum civilemque deducere, aut jam constitutis civitatibus, leges, judicia, jura describere?* Miram hanc eloquentiæ vim, & prope divinam, non nesciunt, qui plebis amorem captant. Demagogi enim, eam ad abusum transferentes, verborum lenociniis populum in amorem sui & interdum admirationem rapiunt. Unde *Hieronymus Savanorola*, Eloquentiæ laudibus celebris, hac arte creditur Imperium affectasse. Ex indole autem & natura sermonis statim innotescit, quinam sit finis ejus, nempe vitæ socialis conservatio & humanæ gentis mutua commoda, quæ si adjuventur, mala quoque depelli necesse est. Hinc laudatus *Pufendorfius* asserit, legem naturalem id officii hominibus dicta-

(o) *Syn. Antr. Phys. lib. I. c. VI. quest. 2.* (p) *Dial. I. ad Q. Frat. de Orat. p. m. 75. ad Hug. Grotius de I. B. & P. lib. III. c. 1. §. 8.*
 (q) *l. c. p. 76.*

Evitare, ut ne quis sermone aut signis ad exprimenda animi sensa institutis, alterum decipiat (r). Verum proh dolor! quam præposterus sit loquelæ usus, quamque impius, singulis diebus observamus, dum pravitatem animi innatam, crebrioribusque pravis actibus adauctam & confirmatam, sermonis pravitas, ut rivulus fontem, imitatur. Nam officia sermocinantium, quæ peculiari dissertatione exhibet *Gottlieb Gerhard Tittius*, (s) negligentius aguntur, & nulla pene in re frequentius delinqvunt homines, quam in usu sermonis. Hinc & prudentes viri, veræ religionis expertes, abunde cognoverunt, quanta sint lingvæ commoda, tanta quoque ejus esse incommoda. Rex enim, ni fallimur, Amasis, cum ad Biantem Prienæum, qui unus è numero VII. sapientum ponitur, victimam misisset, jussissetque eximi carnem optimam & pessimam, extremamque sibi remitti; is mandato imperantis obsequens, linguam exsecuit, Regique perferendam curavit. Non secus Anacharhis Scytha interrogatus, τί ἐστιν ἐν ἀνθρώποις ἀγαθόν τε καὶ φαυλόν; γλώσσει, respondebat (t). Hi non inepte judicabant, eandem corporis partem maximo usui esse mortalibus, si recta sanaque ratio ejus sit Regina: maximo etiam detrimento, si, ratione serva, adfectibusque & tetris errorum fumis involuta, prava inclinatio dominetur, linguamque gubernet. Ex hæcenus dictis perspicua consequi possumus conjectura, ex quam re moralis sermonis qualitas oriatur? Oritur nempe ex relatione ad legem naturæ, tanquam ἀπεικόνισμα voluntatis divinæ, & regulam justii. Nam si discesseris à lumine gratiæ, quod neutiquam lumini naturali vim facit, ipsa principiorum practitorum notitia, quam alias συντήρησιν vocant, justii rectique canones exhibet, quibus si sermo sit adtemperatus, honesti nomen accipit: sin vero minus, reatum culpæ atque pœnæ conciliat, prout hujusmodi præceptis ingenia excolunt Moralium Doctores.

B 3

§. V.

(r) *l. c. c. X. §. I. p. 169.* (s) *Lipsie hab. 1695.* (t) *Diogen. Laërt. de Vitis Phil. lib. I. segm. 105. & obser. Agidii Menagii in b. l.*

§. V.

Quæ cum ita sint, dari aliquam animi & sermonis cognationem, vel, si mavis, similitudinem, quam moralem appellitamus, nemo inficias ibit. Tangimur enim impræsentiarum nec cura cognationis naturalis, quam intercedere contendunt inter homines, ex uno sanguine prognatos, nec spiritualis, qua gaudent, qui in uno capite vinculo amoris arctissime conjuncti, unius corporis mystici membra constituunt: (u) Sed de ea nobis sermo erit, quæ originem ducit suam ex convenientia, qua in conversatione & vita civili ex moralitate sermonis mores animi innotescunt, non quidem ita, ut *ἀποδεικνύσιν* ex qualibet ratione sermonis queamus demonstrare, quænam sit mentis indoles, quænamve qualitas: sed ut saltem liceat probabilibus argumentis inde colligere, qua mente homo sit præditus. Tantum enim abest, ut splendida verborum honestas certo animum indicet, bonitate morali gaudentem, ut etiam virtutum & vitiorum, judice *Wolffango Heidero*, (x) qua exteriorem speciem, cognatio similitudo & convenientia sit. Sic etiam cecinit *Naso*: (y)

Et mala sunt vicina bonis, errore sub illo

Pro vitio virtus crimina sæpe tulit. (z)

Ut autem, quod petimus, obtineamus, & de hac morali cognatione melius erudiamur; nostrum esse videtur, qua fieri poterit, brevitate dispicere, quid sint mores, & quotuplicis generis. Sunt mores, prout definit *Noster Buddeus*, (a) voluntatis inclinationes, qua homini tum per naturam insunt, tum ab aliis causis inducuntur, simul tamen firmata sunt & corroborata. Hinc liquet, mores proprie esse creaturarum rationalium, quæ volun-

(u) *Rom. XII. 5. Eph. IV. 15. 16.* (x) *System. Phil. moral. part. I. p. 3. conscientie Cardano in Arc. Prud. civil. cap. XXIII. pag. m. 83. Add. Ludov. Molinæi Epist. dedicat. præmissa morum Exempl.* (y) *Remed. edit. Heinfl. p. 272.* (z) *vid. Lactian. lib. VI. de vero cultu cap. XIV.* (a) *El. Phil. pr. Cap. II. Part. I. Sect. I. §. 4. pag. 27.*

voluntatis actibus pollent : licet & interdum brutorum esse ferantur, sicuti *Maro* carmina modulatus est de Apiculis: (b)

Admiranda tibi levium spectacula rerum
Magnanimosque duces, totiusque ex ordine gentis
Mores & studia & populos & praelia dicam.

Istarum mores primario ad animum referuntur, secundario ad corpus. Qui animo adsignantur, sunt vel *εμφοροι*, ut cum Medicorum filii perhibent; mores sequuntur temperamenta: vel *επισητοι*, quos adpellant *διαθεσεις, εξεις, προξεις*. Corporis autem inclinationes labore & studio parantur. (c) Qui igitur mores animo insunt, aut honesti sunt, aut turpes, aut laudem afferunt, aut vituperationem; prout legibus à Supremo Numine dictis vel respondent, vel repugnant: & dum occultari nequeunt, praesertim insiti natura mores, referente ex *Pindaro Svida*, (d) sed praeter incessum, gestus & vestitum, sermone etiam, tanquam speculo & imagine utuntur, satis & abunde patet, cognationem quandam esse animi & sermonis moralem. Hanc sententiam, quae nobis affirmatur, ut rationibus adstruamus, petimus eas partim ex Philosophia, partim ex S. Scriptura, quae majorem thesi nostrae lucem accendet.

§. VI.

Philosophicas quod attinet rationes, Physiognomi observant, motus partium solidarum, ex quibus componitur corpus, influxui deberi spirituum animalium, quos *B. Sturmius* vitalis flammæ sobolem, & *Cartesius* Partes sanguinis subtilissimas vocat. *Io. Henricus Voicerus*, Linguae Graecae in Athenarum Tigurenfi Professor, quod de modo horum motuum sentit, sic enunciat: (e) *Spiritus animales suapte natura ad motum incitari, ex cerebro, ubi copiosissime colliguntur, influunt in nervos, spiritum inde*

(b) *Georg. libr. IV. edit. Minellii. p. 133.* (c) *Heid. Phil. mor. p. 24.*

(d) *Histor. ex Vers. lat. Hier. Wolsii Basil. 1581. pag. 69. in voce αυαχρον.* (e) *Comp. Phys. Aristotico-Carref. §. 345. p. m. 180. add. Carref. de Pass. An. pars prima. Art. XI.*

inde à primo animalis ortu inflatos, novoque suo accessu priores impetunt in musculos, qui ab iis inflati contrahuntur, osiumque annexorum commissuras, vario modo inflectant, sicque vel corporis partem, vel totum corpus commovent, non secus ac molam, à vento vela instante, vel ab aqua rotam impellente, agitari cernimus. Hinc deficiente spiritu, vel obstructo aut rupto nervo, vel vulnerato musculo, motum cessare videmus. Hoc cæterum vero verius, deprehendi in corpore humano motus voluntarios seu liberos, & necessarios, quos & naturales nominant. Hi, ut fert *Sturmii* sententia, (f) ab externorum sensibilibus impressionibus ac interno spiritu imperu non aliter pendent, ac machinarum *Drebellianarum* aut *Becherianarum* actiones à solis calore, &c. Voluntarii contra motus, sive actus potentix *locomotivæ* imperati, hominis proprii sunt, mentique & corpori junctim debiti, qui humanarum actionum nomine veniunt, qualitatem in se continentes moralem. Quæ diximus, *Connor* ita exponit, (g) ut duplicem in homine observet vitam, vitam nempe hominis, & vitam corporis humani: illam dicit *mutuum influxum spiritus cogitantis in corpus, & corporis in spiritum, cujus influxus beneficio sensus perficitur, & motus voluntarius; hanc autem motum involuntarium cordis, respirationis, nec non fluidorum perennem circuitum.* Ista autem obligatio, qua mens tenetur sua corpori, & corpus sua menti præstare officia, ex mutuo proficisci videtur fœdere, quo mens corpori, & corpus menti junctum creditur; Quod fœdus cujus generis sit, explicat laudatus *Svicerus*: (h) Mens
 „ corpori juncta est certo quodam fœdere, in conditoris O. M.
 „ beneplacito fundato, quo hanc partibus dixit legem, ut Mens
 „ corpore decenter utatur, Corpus contra membrorum & spiri-
 „ tuum suorum motu varias cogitandi occasiones animo obji-
 „ ciat, quas evitare stante hoc fœdere non potest. Nec non du-
 „ as has leges, animum inter & corpus stabilitas, adfert Medicus
 iste

(f) *Physic. concil. part. spec. sect. post. c. IV. §. 3. p. 279. Carref. loco cit. Artic. XVI. (g) l. c. Art. XV. pag. m. 130. (h) loc. cit. §. 440. pag. 223.*

iste Londinenſis (i), cujus iudicium hac in re magni facimus. Prima eſt: *Iuxta peculiare in humano corpore motus, peculiare in anima excitantur idee.* Secunda: *Iuxta diverſas animæ cogitationes & affectus, peculiare in corpore motus viciffim producentur.* Interea media unionis, qua corpus menti, & vice verſa mens corpori jungitur, neque tactum eſſe, neque Phyſicum vinculum, neque mutuam conſenſum, ſed hanc unionem exiſtentis Numini documentum, fideliffimi Præceptoris *Hambergeri*, Profeſſoris Matheſeos & Phyſicæ celeberrimi, veſtigia prementes, merito ſtatuiſimus.

§. VII.

In cenſum autem horum motuum, quos dirigit vi ſæderis anima cogitans & volens, primario refertur loquela, cujus instrumenta varia, qualia ſunt, ab *Olao Borrichio* recenſita (k), *pulmones, thorax, arteria trachea, nervi, larynx tot musculis, tot cartilaginibus comitata, os, lingua, labia, & præcipue glottis, tubuſque ſingularis membranaceus, ad nutum Voluntatis humanæ, inſtar Reginæ, ita diriguntur & commoventur per laticem nervoſum, ut ſonus articulatus formetur, & innumeræ pro diverſa organorum coordinatione voces procreentur, quibus tanquam ſymbolis res mente conceptas manifeſtamus. Et hæc origo eſt ſermonis. Tanta igitur cum ſit unio inter mentem, tanquam dominum, imperatorem, parentem; & inter ſermonem, tanquam ſervum, militem, filium, ut hic ſine iſtius conſenſu, & idearum communicatione, non ritè formetur: quis, quaſo, eſt, qui negabit, hunc eos exprimere conceptus, ea ſenſa, quæ mens illi imperat. Hæc ſi veram imaginem de re quapiam, h. e. objecto reſpondentem, ſibi format, formatamque ſermonem patefacit, verus ſermo inde enaſcitur: ſin verò rei ideam concipit, falſitatis plenam, ut *C. Mucius* purpuratum ſcribam pro Rege *Porſena* occidens (l); eamque verbum enunciat, nonne verba, falſitatem ideæ experientia, ipſa quoque*

C

(i) *Evangel. med. Art. XV. p. 144.* (k) *Diſſ. de Cauſis diverſ. lingv. §. VII.* (l) *Liſii lib. II. ex recenſ. I. F. Gronovii p. m. 78.*

quoque falsa sunt, & nubem pro Iunone venditant? Non fecus & mens, malis moribus imbuta, dum mala & legibus divinis contraria enunciare jubet, organaque ad loquelam formandam destinata, per spiritus animales disponit; mirum non est, verba dictaque à norma actionum humanarum abesse. Contra emendatæ voluntatis imperio dum & loquela morem gerit, dicta quoque honesta sunt, & idearum bonitati ut plurimum congrua. Ad hæc non possumus, quin paucis persequamur ingeniorum diversitatem, quæ ex diversitate sermonis, qui instituitur, cognosci putatur. Formæ quidem animorum, quam corporum, non pauciores ferme videntur; interim tamen eruditi Viri multum laboris contulerunt, & adhuc conferunt ad certas ingeniorum classes constituendas, ad quas eorum genera quadantenus possent revocari, prout præter *Ianum Huarium* (m), hujus studii laudibus effertur *Edmundus Richerius* (n). Ex ingenii autem indole sermo quoque suam accipit qualitatem, vividam ex animi vigore, socordem ex socordia, asperam ex asperitate &c., sicuti exempla testantur. *Diodorus Tuldenus* pulcrè admodum docet, Eloquentiæ formam pro genio cujusque variare: verba V. CL. sunt hæc; (o) *Ab animo cujusque colorem, & ut sic dicam, vultum ducit eloquium. Catonis in oratione gravitas, Lelii lenitas, Gracchi impetus, Cesaris calor celebrantur: annon pro indole singulorum & vita? Eloquentia Calvi dos in argutiis fuit; Tullii in opulentia: quia huic omnibus imburum largiunt scientiis ingenium, & amplissimo rerum usu diffusum; adjice etiam exultans & jactabundum: at illi acutum morosumque judicium.* Quid igitur obstat. quo minus & qualitatem ingenii moralem ex sermonis moralitate, bonam ex bonitate illius, malam ex malitia, liceat colligere; quamvis ista, quam hæc, altioris sit indaginis, ut alibi docebimus.

§. VIII.

(m) in *Scrutinio Ingeniorum.* (n) *Obster. Anim. cap. IV. §. 7. add. Budd. Ven. diss. de Cult. Ing. §. VIII. IX. X.* (o) *lib. III. de cogn. sui cap. IV. p. 277.*

§. IIX.

Fac animum intendas orationi, quam scias duplicem esse, quotidianam alteram, alteram de diligentia efformatam; quarum istam interpretem animi, & picturam morum, hanc veræ eloquentiæ surculum adpellare placet. Utraque quidem quadantenus prodit animum, sed præcipue quotidiana. Sumus in conversatione civili, tam privata quam publica, vel cum inæqualibus, qui aut imperantes sunt, aut obediētes, aut superiores aut inferiores; vel cum æqualibus, qui eandem nobiscum in hujus vitæ Theatro personam agere videntur: in utraque aliquatenus periculum facere possumus, an non sermonis structura mentis aperiat inclinationes? Sic teneri infantes, qui vix primas litteras balbutire valent, animi pravitatem, contumaciam, proterviam oculis indicant, propensionibus accommodatis. Pulcre admodum *Matth. Dresserus*, (p) *Naturam ipsam, inquit, esse disciplinæ hostem, & documenta suæ malitiæ satis expressa dare, cum quisque puer statim initio se asperum præbeat, & contumacem castigantibus; & vel voce, vel vultu ac gestibus ostendat, se vel ferre nolle, vel certe animo invito & repugnante natura, correctionem admittere.* Sic adultorum moris est, ut colloquia de iis rebus, quarum imagines menti frequentius obverlantur, & jucunda repræsentatione, iterataque eorum objectorum, quæ in deliciis sunt, sive sint jucunda, sive utilia, sive gloriosa, altius infiguntur, libentissime cum aliis conferant. Voluptatibus qui indulgent turpibus, Venerique sacra faciunt, de earum invitamentis instrumentisque, quæ genius infernalis commendat, lætabundi mentionem injiciunt, ignemque igni addere non dubitant: Luxuriæ addicti, blando malo, ciborum potionumque delicias non audiunt tantum hilari vultu, sed etiam earum copiam, & perceptam dulcedinem hilariori referunt. Qui gloriæ laudisque studio ducuntur, materiam subministrant de rebus differendi, gloriæ consequendæ laudique

C 2

dique

(p) *Discipl. nov. & vet. tam domest. quam schol. p. m. 13.*

dique inservientibus. Irretiti autem habendi cupidine, avaritiæque grata compede constricti, propensum in bona utilia animum vix ac ne vix quidem occultare possunt: modo dolent damna, quæ intulerunt vel inferunt sui sibi, modo cogitant de mediis augendi facultates, cogitationesque verbis patefaciunt; modo commoda & incommoda, impensas & reditus, sterilitatem & proventum suorum prædiorum, hortorum, pratorum, agrorum, vinearum, piscinarum &c. accurate regensent. Opifices si tecum loquuntur, ex dictis cognosces animorum ideas. Verum itaque est, quod canit *Ovidius*, lippis & tonsoribus notum:

Navita de ventis, de tauris narrat arator,
Enumerat miles vulnera, pastor oves.

§. IX.

Dicentis porro animus si affectibus vincitur, & ut captivus, huc illuc agitur impelliturque pro istorum libidine, quis inde sermo, quæ verborum structura? *Claudius Salmasius*, (q) πολυμαθής αὐτῷ ille, per tres Furias, quæ sunt *Tisiphone*, *Megara*, *Alecto*, intelligi asserit tres affectus, qui in omnia facinora præcipites agunt homines, iram, cupiditatem ac libidinem. Hisce Furiis si animus aditum permittit, familiaresque agnoscit: Qui quæso inde fetus nascuntur? præsertim si familiares fierent necessarii genii, necessarii tandem non duces, quos se ferebant, sed agasones (r). Præcipitata enim torrentis instar verba, & colorem mutantia, bene compositum animum non arguunt, sed intemperiem ejus, atque inconstantiam. Qua qui laborant, ut in vitæ curriculo, ita etiam in Sermonis *σχῆρες* imitari nobis videntur Planetas superiores, qui motu inæquali feruntur; mox incedunt tardius, jam progrediuntur celerius, nunc circa easdem stellas fixas aliquandiu hærendo, nunc retrogrediendo revolvuntur.

(q) *Epist. lib. I. Epist. ad Menagium super Herod. Infanticida &c. p. m. 12. ad Lactant. l. VI. c. 19. §. 4. (r) Geulincx Saturn. Orat. Text. VI. Paraph. p. m. 18.*

tur (s). Quid dicamus de iis, qui superbix fimialis exagitati, inepti jactatores sunt suæ *μανότητος*, eruditionis, donorumque naturalium, quibus se multos suæ ætatis superare, verbis dicunt Corinthiis: in Mustaceo Laureolam quarunt, & ampullas projiciunt & sesquipedalia verba. *Ostentatio enim est superbix ancilla, præco, tuba*, ut *Heiderus* loquitur (t); & ex sententia *Theophrasti*, *inanis bonorum quorundam, que non adsint, prædicatio* (u). Hæc omnia, si recte animo perpenduntur, fidem faciunt nostræ assertioni, quod cognatio intercedat animum inter & sermonem moralis.

§. X.

Accedunt sententiæ, quibus magno & excellenti ingenio Viri, eandem illam significarunt. Tantus autem est eorum numerus, ut ferè innumerum censes. Nos in id connitemur, ut brevitatis studiosi, pauca seligamus, selectaque literis prodamus. *Plutarchus* Chæronensis, Trajani Cæsaris *σύχρονος*, qui, teste *Suida* (x), à *Plutarcho* Nestorii F, & *Procli* Lycii Præceptore distingvitur, cum prudenter asseruisset; *καὶ μὲν τοῖς τῆς αἰσχρολογίας ἀπαυτέον τὰς ψῆς*: assertum adstruit auctoritate *Democriti*, *Abderitæ* in Thracia Philosophi, qui Persas, Indos & Ægyptios salutasse fertur, & ad inania hominum studia risu diffuxisse, unde *Gelasinus* adpellabatur. Verba autem hujus ita effert: (y) *λόγος γὰρ ἔργου οὐκ ἀνά τὴν Δημόκριτον*. Quam *Democriti* sententiam *Petrus Westhusius* (z), *Scholæ* *Hamburgensis* quondam Rector, sequentem in modum exponit, quasi dicat, *Orationem esse animi indicem*. Sic *Solor Salaminus* (a) *λόγον* dicebat *ἔδωλον τῶν ἔργων*. *Platonius* ille *Philolophus*, *Maximus Tyrius* asseribat: (b) *τῆ ἀνοῆ ἐξί-*

C 3

(s) *Sturmii Astron. pars spec. Tab. VI. p. m. 26.* (t) *l. c. part. II. p. 666.* (u) *Erb. Charact. XXIII. interp. Isa. Castub.* (x) *l. c. in Voce Plutarchus. p. m. 766.* (y) *libr. περὶ παιδων ἀγωγῆς cap. XIV. edit. Westhus. p. m. 261. conf. Diog. Laërt. l. IX. segm. 37. & Menagii Observ. in h. l.* (z) *Scholion. in h. c. p. 283.* (a) *Laërt. l. l. segm. 58. Add. Menagii Obs. in h. l.* (b) *λογ. 15.*

ἐξαιρετόν τὸ τῆς ψυχῆς ἥθος : i. e. interpr. Dan. Heinsio : *An-
 ribus judicandum est de anime indole.* Et *Seneca* orationem vocat
vultum animi (c); & alibi eleganter docet, non posse alium esse
 ingenio, alium orationi colorem (d): *Iracundi hominis, inqui-
 ens, iracunda oratio est; commoti nimis incitata, delicati tenera &
 fluxa.* Bacchis quoque apud *Terentium* (e) *Antiphilam* lau-
 dabat, judicabatque fortunatam, quod operam in id dedisset,
 ut mores formæ consimiles essent: *nam mihi, ait, quale inge-
 nium haberes, fuit indicio oratio.* Idem pene judicium fert *Tho-
 mas Sagittarius* (f) de Cognatione animi & sermonis morali,
 dum hæc usurpat verba: *Qualia quis loquitur, talis pterumque
 intus & ipse.* Et laudatus *Tuldenus* (g), *quid enim oratio, quarit,
 nisi rivulus mentis? Quid nisi morum, si proverbio credimus, chara-
 cter?* Ut taceam *Erasimum Roterodamum*, & *Arnoldum Geulincx*;
 quorum iste orationem adpellat *certissimum animi speculum* (h),
 hic autem *ejus interpretem* (i). Idem exprimit Germanorum
 proverbium: *Man kennet den Vogel beym Gesang.* Quemadmo-
 dum enim fieri solet, ut è voce hominem, facie non conspe-
 cta, quisnam sit, cognoscamus; ita ex habitu sermonis qua-
 litatem ingenii, oculos hominum fugientis, possumus conje-
 ctare. Proinde *Edmundus Richerius* (k), *Doctor Theologiæ Sor-
 bonicus*, non male attribuit Orationi nomen *lucernæ & nuncii
 animi.* Animadvertunt rerum naturalium studiosi, aquas
 medicatas, cujus generis sunt *Thermæ, Acidulæ &c.*, è montis
 radice profuentes, suo colore, sapore & virtute, in cogniti-
 onem nos perducere mineralium, quorum sedem & loca per-
 meant, qualitatemque eorum sibi induunt (l). Verba prola-
 ta

(c) *Epist. ad Lucil. CXV. p. m. 516.* (d) *Epist. CXIV. pag. 507, & 513.*
 (e) *Heaut. Act. II. Sc. IV. edit. Schrev. p. 341. add. nota Variorum
 in b. l.* (f) *Templo Viri. lib. II. Ἀγώνισμα XI. p. m. 178.* (g)
lib. III. de Cogn. sui cap. IV. p. 277. (h) *Schol. ad Car. dist. lib.
 IV. (i) l. c. Quæst. XIX. p. m. 270.* (k) *Obstet. Anim. cap. V.
 §. 2. p. m. 110.* (l) *Bernb. Varenii Geogr. gen. Part. absol. lib. I.
 cap. XVII. prop. VI. & VII. p. m. 283. ff. ed. Amstel.*

ta quid aliud sunt, quam symbola & signa, quibus ideæ, quæ menti alte insident, auditori repræsentantur. Nec ideo à conjectura multum aberrabit, qui ex prudenti sermone, animi prudentiam, ex sapienti sapientiam conjiciet: multo minus ille, qui ἀθερῆ λογόν, & malevola effundentem in alios verba, abderitica judicabit, & malevolentia suffusæ mentis esse. Non alienum quidem videretur, pluribus differere verbis de vitio ἀδολοσχίας, quam nonnulli è censu Philosophorum stulti animi parumque prudentis indicium vocitarunt. Non enim desunt, qui nimio loquendi pruritu, quem modestiores odio habent, vel αἰχρῆλογοι, vel λογόμαχοι, vel αἰεθλίχαυ ἀνδρῶν, propriam interdum existimationem, & alienorum in detrimentum adducentes. Unde Chilon præcipiebat (m), γλώττης κρατῆν; nec minus prudenter Solon docebat: (n) σφραγίζεσθαι δὲν τὸν μὲν λόγον σιγῇ, τὴν δὲ σιγὴν καιρῷ. Sed tamen, ne graves simus lectori, vela nunc contrahimus, alio loco ostensuri, quæ ἀθυρογλωσσίας cum animo sit convenientia.

§. XI.

Præterea curam quoque & cogitationem suscipimus exemplorum, quorum imaginibus hæcenus dicta possunt illustrari. Suppeditant autem ea Historiarum annales, & alii Scriptores, qui inde sua hauserunt. Paucos enim fugit ex historia Philosophica, Barbaros Philosophos, v. gr. Sacerdotes in Ægypto, Magos apud Persas, apud Indos Gymnosophistas, (qui in Sarmanas à nonnullis & Brachmanas dividuntur,) Druides, Celtas, in Barbaris ea tempestate Europæ gentibus &c. præ Græcis honestatis fama nobilitari. Unde & mirum non est, eorum dogmata & instituta Græcolorum Philosophorum decretis præstantiora judicari: quod ut ostendamus, non necesse putatur, quia eruta à doctissimis viris & prolata in lucem specimina satis id comprobant (o). Adeamus Valerium

Maxi-

(m) Laert. l. I. segm. 69. (n) Laert. l. I. seg. 58. (o) vid. V. Cl. Gotthof. Vockerodi diff. de necess. stud. in schol. deletu §. 22. & 23. nec non Script. ibi allegat. ad. Ven. Buddei Histor. Phil. cap. III. Cl. Ackeri dissert. de Philof. ἀνευ τῆ περὶ τὴν μέχρι τῆ λέγων §. 7. & 8. hab. Iena 1704.

Maximum, qui copia exemplorum monstrat, Pectora Sapien-
tiâ prædita dictis factisque prudentibus enitefcere. Memo-
rat sapienter dicta *Socratis*, *Solonis*, *Biantis*, *Platonis*, *Xenocratis*,
Thaleris, *Anaxagoræ* & aliorum, quæ conferri possunt atque
considerari (p). Intueamur exemplum *Catilinæ*, cujus
effrenata audacia animi, malicia, & ad pestem in remp. con-
ferendam inclinatio, quam pluribus *Cicero* describit, patefi-
ebat verborum atrocitate. *Tullius* enim cum in Senatu
diceret, incendium à *Catilina* excitatum; regerebat hic au-
dacter, *Sentio*, & quidem illud, si aqua non potuero, ruina extin-
guam (q). Nec etiam nos præterit effigies *Juliani* Apostatae, qui
cum esset blasphemus in Christum, Salutis Auctorem, animo,
in ultimo etiam vitæ articulo, vocibus eum contumeliosis in-
cessebat. Bellum enim in *Assyria* cum contra Saporem ge-
reret, & incerti hostis icu percuteretur, sparso è vulnere in
aërem sanguine, *Vicisti*, inquebat, *Galilæe* (r). Perlustranti
recentiorum temporum historica, laudatissimum *Jo. Friderici*
Electoris Saxonie exemplum occurret. Hic enim heroi-
cam animi magnitudinem, quæ *Magnanimi* elogium genuit,
cum supplicii, ab Imperatore *Carolo V.* sibi decreti, certior
fieret, heroicis præ se ferebat vocibus, neqhorrebat ad mor-
tis obeundæ memoriam, prout invictum hujus animum di-
cendo explicat *Jo. Scleidanus* (s). Sermones quoque elabo-
rati, vel, si mavis, scripta publici juris facta, dum portitores
sunt animi, & quadantenus, uti supra monitum fuit, pro-
pensiones ejus & habitum significant; in rem nostram arbi-
tratur, ea quoque afferre exempla, quæ ad idem hoc illu-
minandum pertinent. Quo itaque fuerint animo *Benedi-
ctus Spinoza*, & *Thomas Hobbseus*, *Malmesburienensis* in *Anglia*
Philosophi, quæ exstant eorum scripta, documento esse me-
rito creduntur. Damnantur enim *Atheismi hæc* & *Natura-
lismi*;

(p) *lib. VII. dict. fact. cap. 2.* (q) *Valer. Max. l. IX. cap. IX.* (r)
Hornii Hist. Eccles. N. T. Period. I. Art. III. pag. m. 195. (s) *de*
Stat. Relig. lib. XIX.

lismi; ideoque & conditores Athei & Naturalistæ censentur. Effectus enim testatur de causâ, malus de mala. Cæterum, si placet, conferri potest *Imm. Præleus*, qui errores Spinozianos & Hobbesianos in Religionis naturalis negotio refutavit (t), notavitque multa, quæ dictis lucem adferunt. Mentem subit Mæcenatis exemplum, quo prudens *Seneca* orationem docet colorem sumere ab animo. Inter alia hæc usurpat verba (u): *Quomodo Mæcenas vixerit, notius est, quam ut narrari nunc debeat: quomodo ambulaverit, quam delicatus fuerit, quam cupierit videri, quam vitia sua latere noluerit: Quid ergo? non oratio ejus æque soluta est, quam ipse discinctus? & paulo post: Hæc verba tam improbe structa, tam negligenter abjecta, tam contra consuetudinem omnium posita, ostendunt, mores non minus novos & prævios & singulares fuisse. Animus contra si morum honestate excultus est, sapientiæque præceptis instructus, scripta ab hoc profecta, eodem sunt tenore. Argumenta huic reidicuntur, quæ posteritati reliquerunt viri prudentes, & intergentiles morum probitate vitæque integritate conspicui: cuius notæ sunt Scripta *Socratis*, Rhetoris Atheniensis, Scripta laudati *Seneca*, Scripta *Epicteti* & aliorum, quæ à gente Christiana etiam magni æstumantur. Quæ igitur in medium propofuimus specimina, non lucem modo, sed & robur addere crederes. *Seræ* nostræ, quod ingenium & sermo moraliter conspirent.*

§. XII.

Finge autem, nostram asseverationem, quod voces animo moraliter cognatæ sint, neque rationibus Philosophicis, neque virorum honestorum & prudentium sententiis, neque exemplis illustrioribus, posse communiri; communitur tamen auctoritate divinarum litterarum, quæ jure primo habentur numero. Tibi equidem persuaderes, nos *μετὰ βασιον*

D

εἶς

(t) *Diff. de Religione hominis & boni civis natur. adn. Tr. de demost. cert. S. R. & F. cap. II. & III. add. Kortboltius de tribus Impost. Herberto, Spinoza, Hobbeso.* (u) *Epist. ad Lucil. CXIV. pag. 507.*

εἰς τὸ ἄλλο γένεσθαι committere, atque Philosophica Theologica tractare, citantes in testimonium sacrorum oraculorum dicta. Verum tamen licebit Philosophis Christianis, quædam adducere, quæ nostræ assertioni mirifice patrocinantur. Primordium capimus à Proverbiis Salomonis, quæ consiliiis sapientiæ atque præceptis abundant. Sic enim sapientissimus Regum, Scholam pandens justitiæ, inter hujus specimina numerat quoque legitimum labiorum usum, quo de ita loquitur (x): כְּשֹׁפְתֵי נֶכֶן תִּמְצָא חֵכְמָה h. e. in labiis intelligentis invenietur sapientia; & prætermisiss, qui interjacent, septendecim versiculis, פִּי צְרוּק יִנוּחַ חֵכְמָה quod LXX. Interpretes hoc græco loquuntur sermone: σώμα δικαίαις ἀποστάζει σοφίαι, juxta Sebastiani Schmidii versionem; (y) *Os justii proferet sapientiam.* Idem hoc innuere nobis videretur, dum alibi ita egregie: (z) לֵב צְרוּק יוֹהֵגָה לְעוֹנָהוּ פִּי רִשְׁעִים יִבְיַע רְעוּרוּרָה ex mente LXX. Senum; Καρδία δικαίων μελετᾷ πῖσις, σώμα δὲ ἀσεβῶν ἀποκρίνεται κακὰ; interprete B. Schmidio, *Cor justii præmeditatur ad respondendum, sed os impiorum eructat mala.* Non possumus, quin & adjungamus pulcherrima Syracidis verba: (a) γέωργιον ξύλα ἐμφάνει ὁ καρπὸς αὐτοῦ, ἔτω λόγος ἐν θυμῷ καρδίας ἀνθρώπου. Πεφλογισμὸς μὴ ἐπανεσθῆς ἀνθρώπου, ἔτω γὰρ πειρασμὸς ἀνθρώπων; i. e. interprete B. Seb. Schmidio, *Culturam arboris manifestat fructus ejus; sic sermo cogitationis cordis hominis. Ante eloquium ne laudes virum, hæc enim est tentatio hominum.* Ipsa ὑποστατική Sapientia, Salvator noster, cum in Phariseos inveheretur, miraculum ejus maledicto dente carpentes, luculenter docebat, maledicta mali animi imaginem referre: (b) γεννήματα ἔχιδνῶν, πῶς δυναθεύει ἀγαθὰ λαλεῖν, πονηροὶ ὄντες; ἐκ γὰρ τῆς πειραστούματ' τῆς καρδίας τὸ σῶμα λαλεῖ. h. e. ex versione Theodori Beze latina, *Progenies viperarum, quomodo possitis bona loqui,*

(x) cap. X. v. 13. (y) Biblia lat. in b. l. (z) cap. XV. v. 28.
 (a) cap. XXVII. v. 6. & 7. (b) Matth. XII. v. 34. Luc. VI. v. 45.

loqui, cum sitis mali? Nam ex abundantia cordis os loquitur. Ex commemoratis hisce, quæ ob brevitatis studium sufficiant, satis abunde liquet, convenientiam esse animi cum sermone, & sermonis cum animo moralem. Sapienti enim si sapiens, stulto stultus, malo malus sermo est, sequitur sane, dari aliquam animi & sermonis cognationem moralem. Prius affirmant Salomon, Syracides, Salvator. Ergo & posterius affirmatur. Consequentia nobis videtur perclara, quia non bene conveniunt, nec in una sede morantur, sapientia & stultitia, probitas & improbitas, lux & tenebræ.

§. XIII.

Dicis vero: Animum & sermonem licet vos nexu jungatis morali, ego tamen non mediocri distincta & sejuncta intervallo arbitror. Minime enim inficiabimini, uberem segetem esse ejusmodi mortalium, qui multis simulationum involucris tecti, aliud cor in facie, aliud in pectore fovet, qui alias ideas & conceptus animo premunt, alias eructant, & dictione explicant infucata, simulationis & dissimulationis, fraudum politicarum & mendaciorum artifices peritissimi. Horum vitiorum non damnantur tantum, qui ripam fluminis magni in India occidentali accolentes, nimia in inimicos tam vivos quam mortuos crudelitate, & mendaciorum fraudumque artificis inquinari perhibentur: (c) Sed eadem ipsa inter gentem Christianam sedem suam ac domicilium posuerunt. Et Archidamas, narrante Heidsfeldio (d), argute dicere solebat: *Ovem unam tantum eandemque vocem, id est, balarum reddere; hominem vero πολλάς ἢ πικύλας, multas & varias voces effingere, donec ad id, quod cupit, pervenit.* Homo enim interdum est leo, cujus iram tegit voce ovis; interdum serpens, cujus calliditatem occultat columbæ gemitu; & nescio certe, quam sibi, ut cani mordaci, vulpi fraudulentæ, mutabili Chamæleoni & Alce, vocis imaginem induat.

D 2

duat.

(c) *Lucæ de Linda Descr. Orbis lib. XII, p. m. 1400.* (d) *Sphing. Philos. cap. XVI. p. 177.*

duat. A vero igitur parum abesse autumo, quod *Hondorffius* (e) refert Cardinalem quendam in eos dixisse, quorum verba animo dissentiant; VOX JACOBI est, sed MANVS ESAVI. Unde mirum non est, si quis, fallaci frontis, sermonis, nutus & gestus, quæ res dolis ubique ac mendaciis infames, argumento confidens, amicorum larvas numerat, non amicos.

§. XIV.

Cui autem objectioni, quæ sane momentum trahit, ut obviam procedamus, paucis quæ sentimus, quæque ducimus respondenda, ad lucem fumus proposituri. Nulla quidem tempestate desunt malæ mentis homines, quibus religio non est, multis imponere, fucumque facere dictis suis factisque splendidioribus: qui similes sunt argento, quod licet candidum sit, nigras tamen in assere ducit lineas stanni instar aut plumbi. Hypocritæ personam candidi viri præ se ferunt, titulumque jactitant honesti; sed si penitius inspicimus conamina, latet angvis in herba, & dolus malus in tenebris. Ne itaque angvem in sinu foveamus, memori mente reponamus Iſocratis præceptum, quod ad Demonicum pervenit: (f) *Μίσει τῆς κολακείωντας, ὡσπερ τῆς ἐξαπατώντας. Ἀμφοτέροι γὰρ πνευθέντες τῆς πνεύοντις αἰδιῶσιν.* Interprete *Rudolpho Agricola*; *Adulantes averſare, perinde ac fallentes; Utrique enim, cum eis habetur fides, injuria afficiunt eos, qui sibi crediderunt.* Prorsus autem evitatur consortium eorum, qui verba dant ficta, aliosque rugis superciliorum decipiunt, eundem est ultra Sauromatas & glaciale Oceanum: Sed ne ille quidem locus vacabit hypocrita, si modo homo est, nec Deus, qui fugit fucati animi homines. Ut tacitus præteream Scripta Philosophica, quorum conditores ea docebant, ad quorum præscriptum ipsi, paucis saltem exceptis, parum constituiebant vitæ suæ rationem, prout hoc

in

(e) *Promt. Exempl. Part. II. pag. m. 14.* (f) *Orat. I. paræm. ad eund.*

in argumento egregiam collocarunt operam Magnificus, no-
 ster *Buddeus* (g), & clarus eruditione *Ackerus* (h). Verum,
 enim verò non omnem simulationem & disimulationem esse
 illicitam, non paucis comprobant argumentis, qui scientiam
 juris naturalis excolunt. Auscultes rogamus thema, quod
 hac de re constituit *Immanuel Weberus*, Professor *Gießensis*;
 (i) *Tantum abest omnem simulationem & disimulationem esse illicitam, ut cæteris paribus, ea quandoque inrer officia referantur.* In-
 numerato quidem esset, plura adnectere, quæ hoc argu-
 mentum possent dilucidare; sed dissvadente instituti nostri
 ratione, *Hugo Grotius*, quæ desiderabuntur, suppediabit: (k)
 cui jungi possunt præter *Pufendorfium* (l), & *Heiderum* (m),
Daniel Stablius (n), *Hieronymus Cardanus* (o), & *Christianus Tho-
 masius* (p).

§. XV.

Dubiorum denique, quibus animus tenetur suspensus,
 non ea vis est, ut columnas sententiæ nostræ & fulcimenta
 evertant. Mala enim mens, Richerium ut imiter, dum do-
 lis & mendaciis, velut eqvuleo quodam aut carnifice, distra-
 hitur; mendacia strictè sic dicta, simulationes & dissimula-
 tiones rerum, ad quas ex me intelligendas alter jus perfe-
 ctum aut imperfectum habet, haud degeneres filix sunt ma-
 læ matris, quæ vulpina & serpentina calliditate, fraudum &
 mendaciorum tenebris, tanquam sepix atramento aut echi-
 ni spinis & aculeis obvolvitur. Qua causa adductus auctor
 est *Richerius* (q), ut pueri candore quodam animi, integri-
 tate

(g) *Dial. de Moribus Philosoph.* (h) *Dissertat. de Philos. ἀνευ τῷ
 περὶ τῆν μέγαν τῶ λέγειν.* hab. *Iene A. S.* 1704. (i) *Them.*
XXVI. Select. publ. ventit. adn. *Pufendorf. abb. de O. H. & C.*
 (k) *libr. III. I. B. & P. cap. I. p. 428. ff. ed. Amstel.* (l) *O. H.*
& C. lib. I. c. X (m) *Philos. Mor. Part. II. p. 747. ff.* (n)
Oratio de Mendacio, an possit esse licitum? hab. *Iene A. S.* 1631.
 (o) *L. c. cap. LII. & LIII.* (p) *libr. II. Iurisp. div. cap. III.*
 (q) *l. c. cap. IV. §. 2.*

tate ingenua, & verecundia liberali, ceu vivis & natis vir-
tutum coloribus, intingantur, quo per reliquas ætatis suæ
partes veritatis sacra colant atque sinceritatis. Agens enim
producit sibi simile; & quo recens testa imbuta est semel odo-
re, diu eum servabit, ut *Horatii* fert sententia (r). Ad hoc simula-
tores, mendaces & jactatores licet sermonem, mentis conceptui
summoq; studio occultent significationis falsitatem; attamen
ipse ille sermo animi interdum vasti proditor evadet. Sæpe no-
minatus *Geulincx*, quærenti ex se, quid hac de re sentiat, hoc
dat responsum: (s) *Si animi sensa os inficiari audeat, statim ad
æquuleum ruboris à conscientia pertractum, ipsis se accusat indicis:
quin etiam alia quedam à re facetur sæpe numero, confusiois tor-
mento perplexum, qua nisi in fraudis odium fuissent extorta, puro pu-
ro silentio concessum erat occultere. Adeo commercium istud, quod na-
tura nobis sanxit, non impune rescindimus mortales. Idem hoc in
opinionem venit Caspary Dornavio, de improba malevolorum
arte ita-differenti: (t) *Quanquam vero id agit calumnia, ut ver-
borum blandimentis occultare posse videatur suam amarulentiam; re-
vera tamen observatum fuit, quod ficta cito redierint ad naturam
suam: & dum obrektor regere se cupit simulatione officii, sermo ta-
men vultus ac frons, quicquid celare ausit, animi sæpe fit janua, que
significat voluntatem abditam & reclusam. Oratio enim dum va-
riis mendaciorum involucris, ut avis Æsopica plumis ascitis,
obvolvitur, facile potest fieri, ut ex veste vericolori, dissen-
sione scilicet verborum, falsitas ejus deprehendatur. Unde
Lactantius Firmianus, (u) summi oratoris, quem Roma coluit,
perpetuus imitator, cum in eo esset, ut ab improbissimi cu-
jusdam criminationibus veritatem vindicaret sanctarum lit-
terarum, ornateque ac copiose ostenderet, à Paulo & Petro
ab-**

(r) *lib. I. Epist.* (s) *Saturn. quest. XIX. p. m. 270.* (t) *Calumnie
representatio ad Apellis picturam, & Luciani scripturam accom-
modata &c. Gœrlitii Anno S. 1625.* (u) *lib. V. Inst. div.
cap. III. pag. 337.*

abfuisse fingendi voluntatem & astutiam; non mediocre petit argumentum à conditione Apostolorum, horumque traditione quadranti undique, & sibi tota consentienti, qui ut rudes, quos vocat maledicus conviciator, ut indocti, ut qui piscatorio artificio quæstum fecerunt, apta inter se & coherentia non potuissent fingere; cum Philosophorum doctissimi Plato, & Aristoteles, & Epicurus & Zenon, ipsi sibi repugnantia & contraria dixissent: hanc interserens causam, *qui casu mendaciorum natura, ut coherere non possint.* Accedit quoque tractus temporis, qui non raro è tenebris, eruit fraudulentum animi machinas, erutasque in luce collcat. Difficile enim, fictam diu agere personam, uti exemplo est *Herodes Idumæus*, quem sacra pagina suggerit. Hic quidem, crudelitatis perinde ac hypocrisæos nomine insignitus, odio in recens natum Iudæorum Regem obducebat devoti sermonis purpurisum, dicendo quærantibus *Magis, πῶς ἐστὶν ὁ τεχθεὶς βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων;* (x) *πορευθέντες, ἀκριβῶς ἐξετάσατε περὶ τῆ παιδὸς.* Eὰν δὲ εὐρητε, ἀπαγγέλατέ μοι, ὅπως κἀγὼ ἐλθὼν προσκυνήσω αὐτῷ. i. e. *Ubi est ille Rex Iudæorum, qui natus est? Profecti, accurate inquirete de puerulo: Postquam autem inveneritis, renunciate mihi, ut & ego veniam & adorem illum.* Sed non ita multo post, pueris *Belebemiticis* violentæ morti datis, temporis filia veritas comprobavit, πὸ *ADORARE*, & πὸ *TRVCI-DARE* ei fuisse synonyma. Sunt etiam, qui probitate ficta & sermonis dulcedine, viam sibi ad amicitiam excellentium virorum, altiozem dignitatis gradum, divitias, potentiam & id genus alia muniunt, faciuntque multa, quæ boni solent, eo quidem promptius, quod fallendi gratia faciunt. Verum isti, cum esse ceperint propositi ac voti sui compotes, tum simulatione deposita, mores suos detegunt, & mellitos verborum globulos, dictaque papavere quasi & sesamo sparsa, cum acerbis commutant & ignominiosis, quibus eos, quos
ut

(x) *Matth. II. v. 8.*

ut patres, ut patronos, ut amicos coluerant, vexant, infe-
quuntur, violant; Sicuti *Lactantius* ornato dicendi genere si-
mile quid tradit de summum potentix gradum anhelanti-
bus (y). Hujus notæ homines, candidum vertentes in ni-
grum, hieroglyphice speciem gerunt picæ, quæ priore cor-
poris parte candida est, posteriore autem nigra. Unde *Try-
phon Grammaticus* ajebat; τὸ ψεῦδος ἐν τοῖς ἐξάτοις μελαίνεταί:
mendacium in extrema parte nigrescit (z). Fac etiam, quosdam
impostores eo procedere calliditatis, ut fallacia animi non
perpiciatur, reclamat tamen conscientia, (modo ne sint ἀπηλ-
γηκότες,) suisque stimulis exagitat eos, qui legem naturæ
transgrediuntur; quid? quod terrorem mentientibus incu-
tiant exempla *Gechafii* (a), *Anania, & Sapphira*, (b) qui pœnas
mendaciorum, quæ impudentissime dixerant, sanctissimo
Numini dederunt. Tarditatem pœnæ, nisi sanctiorem divi-
ni Spiritus disciplinam admiserint, justissimus judex gravi-
tate compensabit. Hic esto terminus prioris nostræ medi-
tationis; quæ silentio prætermiſſa videntur, aut minus
accurate exposita, posteriori reservamus.

T A N T V M.

-
- (y) *L. c. lib. VI. c. 6. p. m. 415.* (z) *Pier. Valer. Hieroglyph. libr. XXIII. cap. 18. p. m. 277.* (a) *II. Reg. V.* (b) *Actor. V.*



ULB Halle
003 620 00X
3


Sb.

VJ
17







47. * 27 48

MEDITATIO PHILOSOPHICA
PRIOR
DE
COGNATIONE
ANIMI ET SERMONIS
MORALI

QVAM
DEO CLEMENTER IUVANTE
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DN. GVILIELMO HENRICO

SAX. IVL. CLIV. MONT. ANGAR.
ET WESTPHALIAE DVCE
RELIQVA

BENEVOLO SVPERIORVM CONSENSV
IN ACADEMIA SALANA

Placidae Eruditorum disquisitioni exponunt

PRAESES

M. IO. CHRISTOPH. ARNOLDVS

GOtha-THRINGVS

&

RESPONDENS

IOHANNES Walter

TYNGEDA-GOTHANVS,

AD DIEM 10 IANVARII A. S. MDCCVIII.

GENAE
EX OFFICINA EHRICHIANA.